

hærere immediate; sed cum sit potentia secundum quid et reductive, oportet quod reducat ad illam, ad cuius actus et rationem formalem magis proportionatur et assimilatur.

XXII. Ad characterem autem, licet non pertineat perficere rationem veri aut boni, secundum rationem cognoscitivi aut volitivi, quia non se habet ut principium elicivum actuum vitalium, pertinet tamen ministerialiter et sacramentaliter valide exercere signa sensibilia, habentia virtutem spiritualem, et protestativa fidei Christi, et descendencia a sacerdotio Christi, in quo ei character ministrat; et quia sacerdotium Christi ad intellectum pertinet, ideo ratio ministrativa ejus sacerdotii in signis istis sensibilibus ad intellectum ministri pertinere debet, ut agat tamquam minister, seu instrumentum animatum. Datur autem character ut perficiat practice, non speculative actus cognoscendi, quantum est ex parte effectuum, dando vim actibus ut valide illos exercent.

XXIII. Itaque non ut actus intellectus eliciatur, quantum ad formalem rationem aut vitalitatem, vel modum principalis causæ datur character, sed ut ministerialiter vim, et efficaciam tribuat actibus, quibus ministratur sacerdotio Christi; non ministratur autem nisi actibus intellectus: et ut isti actus vim habeant sacramentalem, ad hoc deservit character, nec enim efficacia ista solum moralis est, sed etiam physica, ut procedit a ministro ad hoc ut validitatem physicam tribuat ipsis sacramentis in genere sacramentali. Quia ergo character datur ad ministrandum verum sacramentum non attendendo ad modum, quo debet fieri ex parte subjecti, sed ad hoc ut fiat juxta participationem sacerdotii Christi et protestativa signa

fidei ejus, ideo ad formalem rationem intellectus spectat non adjuvando illam in eliciendis actibus suis, sed proportionem habendo cum illa, et magis ordinata ad verum conficiendum, et bonum sacramentum, quam ad bene vel male.

XXIV. Ad primam confirmationem respondetur, quod potentia non est capax alicujus actus sibi connaturalis, aut ad modum sibi connaturalis dati, qui non sit actus primus, aut secundus; character est actus primus ministerialis, et ideo per modum potentiæ se habet, quia non dat actum primum per modum convenientiæ bene vel male, sed per modum principii, non simpliciter, sed ministerialiter ut valide fiant actus, non ut convenienter. Est tamen capax actus ab extrinseco advenientis per modum potentiæ ministerialis, et illa qualitas non erit actus primus, aut secundus, quia non datur ipsi ut per illam tamquam per naturam agat ad modum causæ principalis, sed ut ministerialiter et instrumentaliter se habeat.

XXV. Ad probationem majoris respondetur, quod potentia est tota inclinata ad actus, et inclinatio ad agendum, et ideo connaturaliter et juxta modum proprium solum est capax activitatis, quæ sit actus primus, aut secundus; ministerialiter autem est capax non solum activitatis, quæ sit actus primus, sed etiam potentiæ, sive activæ, sive passivæ in ordine ad actus, quos ministerialiter debet exercere, si ministeriale illud exercitium habeat proportionem et convenientiam cum actibus illius potentiæ in qua subjectatur; sic enim character cum sit potentia ad protestandam exterius fidem per signa sensibilia, convenienter in ipso subjecto fidei ponitur.

XXVI. Ad secundam confirmationem respondetur, characterem non esse signum quasi primario, et es-

sentialem, sed esse potestatem spiritualem fundantem rationem signi; et ideo non oportet quod sit in substantia animæ immediate, sed in ea parte, quæ talem potestatem convenienter exercere potest.

XXVII. Secundo dicitur, quod potentia animæ præsertim intellectiva notior est quam substantia animæ, sicut effectus et passio notior est sua causa, et suo subjecto, et sic in illo tamquam in notiori ponitur characteris signum.

XXVIII. Tertio respondetur, quod etiamsi substantia sit notior secundum se, tamen character non ordinatur ad notificandam substantiam, sed potius actus sacramentales, et protestandam exterius fidem, sicque non datur ut purum signum, sed ut potestas ad actus speciales divini cultus, unde et significare debet ipsos actus, quorum est potestas, ac proinde potius debet poni in potentia, quæ dicit ordinem ad actus, quam in anima, quæ dicit ordinem ad esse, et non immediate ad actus.

XXIX. Secundo arguitur: Character non est principium alicujus actus pertinentis ad cultum Dei, sive intellectus, sive voluntatis: ergo non est ponendus in intellectu, aut voluntate. Consequentia patet, quia tota ratio ponendi characterem in intellectu ut in subjecto, est quia ordinatur ad protestandam fidem exterius, et ad actus qui proprie pertinent ad intellectum. Antecedens probatur inductione, discurrendo per omnes tres characteres, nam character baptismi datur ad recipiendum valide alia sacramenta: ad hoc autem ex parte intellectus solum requiritur aliqua cognitio fidei, aut prudentiæ; ex parte voluntatis intentio recipiendi sacramenta; ad hos autem actus non concurrunt character: ergo non est assigna-

re actum, qui characteri correspondeat.

XXX. Similiter in confirmatione actus ad quem ordinatur character est constans confessio fidei, et hunc actum fides elicit, non autem character: ergo non datur ad aliquem actum, quia omnes actus quos imaginari possumus in character, eliciuntur a fortitudine, aut fide, etc.

XXXI. Denique in characterе ordinis solum requiritur aliqua intentio, aut actus fidei, ut exequatur quis sacramentales actus; ad intentionem autem, vel actum fidei eliciendum non concurrunt character, sed voluntas, aut fides: ergo.

XXXII. Nec dici potest, quod concurrat character ad modum, seu virtutem imprimendam illi intentioni, et illis actibus, non autem ad ipsam substantiam eliciendam. Contra hoc est primo, quia in characterе confirmationis non potest assignari quæ sit illa virtus physica, aut modus impressus: secundo, quia licet requiratur character baptismi ut intentio recipiendi sacramenta sit valida, tamen hoc non requirit aliquid physicum a characterе derivatum, quia non alio modo, nec cum alia virtute requiritur intentio ad suscipienda alia sacramenta, quam ad recipiendum ipsum baptismum; ad recipiendum autem baptismum sacramentaliter non requiritur aliquid physicum in intentione derivatum a characterе, quia qui suscipit baptismum, non habet characterem: ergo.

XXXIII. Et simile argumentum potest fieri in characterе ordinis; sicut enim intentio valida ministrandi baptismum non requirit in ipsa intentione aliquid physicum proveniens a characterе, sic neque intentio valida ministrandi alia sacramenta requirit aliquid physicum a characterе ordinis proveniens. Nec potest explicari quæ qualitas

sit illa aut modus, qui imprimatur intentioni ministri, si quidem illa intentio physice non est efficacior quam in non habente characterem, cum versetur immediate circa ipsum sacramentum, ad quod physice efficiendum, quantum ad id quod sensibile et physicum est in sacramento, non requiritur specialis illa qualitas in intentione.

XXXIV. Denique si dicatur, quod character non ordinatur ad cognoscendum vel appetendum, sed ad operandum practice protestationem fidei sensibilibus signis, contra hoc est, quia jam non est fundamentum ut ponatur in intellectu character, si quidem non ordinatur ad actus cognitionis; nam si character est operativus, vel actionis vitalis interioris, et ad hanc non requiritur potentia nova, sed sufficit intellectus aut voluntas cum habitu; vel est operativus actionis exterioris et transeuntis, et ad hanc non requiritur quod character sit in intellectu, præterquam quod explicari non potest in quo consistat actio transiens et exterior.

XXXV. Ad principale argumentum respondetur distinguendo antecedens; non est principium alicujus actus, ministerialiter ad cultum Dei ordinati, nego; non est principium alicujus actus principaliter eliciendi in cultum Dei, et tamquam a causa principali, concedo. Quid autem sit ministerialiter concurrere et habere actus, dicimus quod non est producere aliquem actum cognitionis aut volitionis, quia totum quod est in volitione aut cognitione procedere debet a causa vitali, et ad modum principalis se habente; sed producere hos actus, et dirigere actiones exteriores sacramentaliter, et secundum subordinationem ad sacerdotium Christi.

XXXVI. Itaque sicut actiones Christi Domini, sive interiores, sive

exteriores, physice ab ejus sacerdotio pendent, ut justificationem nostram operentur, sic cooperatores Christi et ministri habent medio characterе exequi valide actiones istas, quibus justificatio nostra impletur, ut descendit a Christo. Non ergo character habet aliquem actum proprium, cujus substantiam elicere pertineat ad ipsum characterem, quia omnis actus cognitionis aut volitionis, secundum elicitiam et substantiam suam debet procedere a forma, ut a causa principali; character autem non est forma productiva principaliter, et per modum formæ, sed solum homo mediante characterе debet subordinare, et conformare actus suos sacerdotio Christi, et secundum hanc subordinationem valide exercere sacramentales actus, sive passive, sive active se habendo erga illos.

XXXVII. Actus ergo intellectus, et actus exteriores, secundum se et substantiam suam non pendent a characterе; secundum autem quod configurantur et subordinantur sacerdotio Christi, ut ministerialiter ei deserviant, et ab eo efficaciam participant, sic pendent a characterе. Cum enim actus nostri ex natura sua non habeant subordinari specialiter sacerdotio Christi in his quæ pertinent ad religionem christianam, neque ad id sufficiat moralis et extrinseca deputatio, quia alias non esset necessarium ad id imprimere qualitatem in anima; inde fit, quod character habeat hanc subordinationem actibus imprimere, et secundum elevationem instrumentalem valide actus sacramentales perficere, aut passive, aut active. Dicimus ergo, quod quantum ad istum modum specialis subordinationis et configurationis, actus nostri pendent a characterе, non autem secundum substantiam suam. Et licet intentio sit actus voluntatis,

quia tamen procedit ab intellectu, necesse est quod in intellectu subordinationem hanc recipiat a characterе potius quam in voluntate, ut mox dicetur.

XXXVIII. Ad improbationem, et replicam hujus, respondetur ad primam, quod in characterе confirmationis etiam datur subordinatio hæc ad sacerdotium Christi, quatenus ille actus professionis publicæ fit ministerialiter ab isto et sacramentaliter, ut a roborato in vita christiana; et non solum ut ab habente habitualiter fidem: in illo enim se habet ut minister, non in hoc. Unde ex alio auxilio procedit, quod iste ratione habitus profiteatur fidem, saltem ratione ministerii, et ut specialiter Christo deserviens in hac parte in ordine ad cultum sacramentalem ejus. Nec enim ad hoc facit intensio habitus fidei, secundum quem etiam non confirmatus potest confiteri fidem; sed facit roboratio sacramentalis, quam in vita christiana ut ministro Christi sacramentaliter ei consignato, debetur firmitas, qualis non debetur baptizato ex vi sacramenti; esto per accidens ex intensione fidei possit non confirmatus etiam firmiter profiteri fidem; non tamen secundum eandem rationem et motivum agendi.

XXXIX. Sed quid in parvulo, qui jam baptizatus, si ei detur confirmatio vel eucharistia, valide suscipit sacramenta ista, et tamen nullum habet actum character respondeatur, quod ad suscipiendum valide ut adultus, requiritur actus a characterе formatus; ad recipiendum ut parvulus, sufficit habitus gratiæ cum characterе, et habitus virtutum.

XL. Ad secundam improbationem dicitur, quod character baptismi requiritur ut valida intentio recipiendi sacramenta, quæ præsupponunt hominem christianum, non

faciunt. Unde ad baptismum non validatur intentio ex vi alicujus characteris, quia non pendet valor intentionis ex eo quod sit regeneratus, et intra Ecclesiam positus, sicut pendet in susceptione aliorum sacramentorum. Unde cum susceptio aliorum a pluribus pendeat, non mirum quod alio modo, et cum alia virtute et validitate requiratur intentio ad suscipienda alia sacramenta quam ad suscipiendum baptismum.

XLI. Ad tertiam probationem de characterе ordinis, dico quod actus quibus sacerdos ministrat, sive sit intentio, sive quis alius, quo applicatur ad conficienda sacramenta, habent efficaciam ad valide conficiendum ex vi characteris, quam non habent actus procedentes ab eo, qui characterem non habet. Unde non sacerdos baptizans habet quidem validam intentionem ad sacramentum conficiendum, in cujus validitatem character non influit, quia ob summam ejus necessitatem sic instituit Christus Dominus: non tamen hinc sequitur, quod respectu aliorum sacramentorum, quibus characterem destinavit, aut quando mediante characterе voluit ea fieri, character non influat in illa, id enim quod sine characterе validum et efficax esse voluit ob summam necessitatem, mediante characterе voluit validare, quando ex officio fit. Sicut licet sine habitu possit fieri demonstratio, aut quilibet alius actus ad quem habitus inclinatur; hic tamen non fit, quando mediante habitu scientiæ demonstramus non influere habitum scientiæ in talem actum.

XLII. Ad id quod dicitur, quæ qualitas aut modus sit iste, qui intentioni aut aliis actibus ministri imprimatur respondeo, esse modum sacramentaliter operandi et efficiendi illos actus conformes et subordi-

natos sacerdotio Christi: nec solum in genere entis, sed etiam in genere sacramentali, et specialiter ad cultum Dei pertinentis in christiana religione eos eliciendi.

XLIII. Ad id denique quod dicitur, non esse fundamentum ut ponatur in intellectu character, si non ordinatur ad appetendum aut cognoscendum, respondetur poni in intellectu potius quam in voluntate, quia subordinatio ad sacerdotium Christi in his quæ sunt specialiter religionis ejus, pertinet ad intellectum, ad quem pertinet sacerdotium Christi. Item, quia esse specialiter protestativa fidei sensibiliter secundum ritum christiānum, oportet quod descendat a potentia illa, quæ tractat et ordinat ea quæ fidei sunt, potius quam ad voluntatem, quæ tractat bonum modum se habendi erga ea, quæ fidei sunt. Et ideo simpliciter esse protestativa fidei in ritu christiano, et secundum configurationem ad sacerdotium Christi, magis est opus ministeriale intellectus, quam voluntatis.

XLIV. Ad id quod dicitur, an sit operativus actus vitalis interioris, dico quod neque exterioris, quantum ad substantiam et elicientiam, cum isti eliciantur a subjecto ut a causa principali; sed tam interioris quam exterioris, quoad modum, seu ministerialem rationem, qua servitur sacerdotio Christi, quo in validitate sacramentali et religiosi cultus Christo configurantur, et protestativi fiunt fidei ejus in ritu christiano.

ARTICULUS V.

Utrum character insit animæ indelebiliter?

I. Duæ conclusiones possunt elici ex articulo. Prima: Character inde-

lebiliter manet in anima; in fine corporis.

II. Secunda: Post hanc vitam manet character; in solutione ad tertium.

III. Circa primam conclusionem duo termini notandi sunt, scilicet in anima, et indelebiliter. De primo termino nihil in præsentī articulo, quia est materia præcedentis articuli, ubi determinatum est in qua parte animæ maneat, scilicet, in parte intellectiva, quod in præsentī etiam repetit S. Thomas in corpore.

IV. De secundo termino est totus hic articulus, scilicet indelebiliter; circa quem statim se offert advertendum, quod notavit Cajetanus hic §. 1, et post illum commentatores alii, quod potest dupliciter sumi; vel respectu omnipotentiae Dei, et iste non est sensus litteræ, quia certum est, quod sicut ipsa anima potest destrui, saltem per suspensionem conservationis, sic et character potest destrui suspendendo conservationem ejus; vel secundum legem communem, seu attenda natura ipsius characteris, et in hoc sensu intelligenda est conclusio utraque.

V. Prima ergo conclusio est de fide definita in Concilio Florentino, in decreto Eugenii, et in Tridentino sessione VII, canone IX, ubi character dicitur signum indelebile.

VI. Ratione autem probat hanc conclusionem S. Thomas, præter argumentum Sed contra, in corpore hoc modo: Sacerdotium Christi est æternum; sed character sacramentalis est quædam participatio sacerdotii Christi in fidelibus ejus: ergo character indelebiliter manet in anima. Majorem non aliter probat D. Thomas, quam ex sacris Scripturis ex illo Psal. CIX: *Tu es sacerdos in æternum*. Et posset adduci etiam illud Pauli ad Hebræos VII, qui postquam de Christo intellexit testimo-

nium Psalmi præcedens, addit: *Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*. Minorem probat D. Thomas ex articulo tertio præcedenti, ubi probatum reliquerat: « Quod character sacramentalis est character Christi, cujus sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quædam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatæ. » Consequentiam vero probat, quia omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente. Adducit exempla de ecclesia, et altari consecrato, cujus consecratio semper manet, nisi destruat vel ecclesia, vel altare. Et cum anima, in qua recipitur character, sit perpetua et incorruptibilis, sequitur bene quod consecratio ejus, quæ fit per characterem, etiam sit perpetua, ac per consequens character.

VII. Contra conclusionem arguit Scotus in IV, dist. VI, quæst. IX, ab inconvenienti, scilicet, quod virtus sacramentalis, seu supernaturalis in sacramentis nunquam posset corrumpi, sicut character ponitur indelebilis a D. Thoma; quod tamen apparet falsum, cum plura sacramenta (imo et omnia præter eucharistiam) in fieri actionis consistant, et sint successiva, et nullam permanentiam habeant; et per consequens nec virtus sacramentalis supernaturalis in illis daretur. Hoc inconueniens elicit Scotus ex hac conclusione ad probandum intentum suum, quod scilicet non detur talis virtus in sacramentis, de quo supra quæst. LXII, art. I et IV.

VIII. Contra rationem etiam potest objici; tum, quia minor assumpta non est universaliter vera, quia non omnis character est participatio sacerdotii Christi; quod probatur, quia ut habet D. Thomas articulo

tertio per characteres fideles figurantur Christo; sed licet per characterem sacerdotalem fideles, qui instituuntur sacerdotes, figurentur Christo summo sacerdoti, et ideo character ordinis sit participatio sacerdotii Christi, tamen per characterem baptismi, et confirmationis fideles non fiunt sacerdotes, ut est notum, et sic tales characteres non assimilantur Christo sacerdoti, et consequenter nec characteres possunt dici participationes sacerdotii Christi.

IX. Tum, quia consequentia non est formalis, quia vis rationis consistit in illo principio, quod sacerdotium Christi est æternum, et ideo participatio talis sacerdotii est æterna, quia est participatio alicujus æterni. Instatur enim in gratia, quæ est participatio naturæ divinæ, quæ non est minus æterna quam sacerdotium Christi, et tamen non est perpetua nec indelibilis, quamvis recipiatur in anima, in qua recipitur character; et idem est de aliis habitibus supernaturalibus.

X. Nec satisfacit solutio D. Thomæ hic ad primum et secundum, scilicet, quod gratia est forma completa, et datur ut anima media illa operetur ut causa principalis juxta suum liberum arbitrium; et ideo datur juxta conditionem animæ libere et mutabiliter operantis; character vero est virtus instrumentalis, et ideo sequitur conditiones agentis principalis, a quo natus est moveri; unde sequitur immobilitatem principalis agentis.

XI. Non, inquam, satisfacit hoc, quia ex hoc ipso sequitur intentum, quod consequentia non sit formalis, si quidem ultra hoc quod est esse participationem alicujus æterni (in quo convenit character cum gratia) requiritur aliud principium, in quo character differt a gratia. Ex quo probatur indelebitas in cha-